



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Innocentii Papae II. Ad Baldvinvm Berycensem, Bernardvm Sidoniensem, Et Ioannem Ptolemaidensem episcopos. Eiusdem argumenti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## EPISTOLA VII.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD RADVLPHVM PATRIARCHAM ANTIOCHENVM.

Eiusdem argumenti.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri  
Radulpho Antiocheno patriarchæ salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**S**ANCTORVM Canonum institutionibus continetur, vt  
Synusquisque suis terminis contentus existat, nec in alie-  
na iura irreat. Ea etiam quæ nobis fieri nolumus, tam di-  
uinis quam humanis legibus, proximis nostris facere pro-  
hibemur. Quæ cum ita sint, fraternitati tuæ mandamus,  
quatenus suffraganeos Tyrensis ecclesiæ non impedias,  
quin venerabili fratri nostro Fulcherio archiepiscopo, me-  
tropolitano suo, debitam obedientiam & reuerentiam de-  
ferant: alioquin canonicis sanctionibus contrahitur, si me-  
tropolitani a suis suffraganeis obedientia subtrahatur.  
Optamus enim vt circa prælatos & subditos suum ius &  
proprius ordo absque contradictione seruetur. Datum  
Laterani decimosexto Kalendas Februarii.

## EPISTOLA VIII.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD BALDVINVM BERYCENSEM, BERNARDVM  
SIDONIENSEM, ET IOANNEM PTOLEMAIDENSEM  
episcopos.

Eiusdem argumenti.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratri-  
bus Balduino Berycensi, Bernardo Sidoniensi, Ioanni Ptole-  
maidensi episcopis, salutem & apostolicam benedictionem.*

**A**d hoc sancti patres diuersos esse in ecclesia gradus &  
ordines voluerunt, vt, dum subiectionem & reueren-  
tiam minores maioribus exhibent, vnâ fieret ex diuersitate  
connexio, & recte officiorum gereretur administratio sin-  
gulorum. Grauat autem nos, & valde miramur, quod

*Concil. Tom. 27.*

N

*1. Reg. 15.* cum vobis iam pridem literis apostolicis præceperimus, vt venerabili fratri nostro Fulcherio Tyrensi archiepiscopo, metropolitano vestro, obedientiam & reuerentiam exhiberetis, quasdam occasiones & interpretationes minus idoneas prætendendo, id facere contempsistis: cum vtique quasi peccatum ariolandi sit repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Mandamus itaque vobis, & auctoritate apostolica iterato præcipimus, quatenus omni occasione submota eidem fratri nostro de cetero pareatis: nec sub obtentu obedientiæ, quam alicui primati dependitis, sibi subiectionem & reuerentiam metropolitano vestro debitam aliquatenus subtrahatis. Quod si contemptores vltius extiteritis, sententiam, quam idem archiepiscopus in vos canonicè protulit aut protulerit, nos auctore Domino ratam habebimus. Si vero pro eo quod eidem fratri nostro obdieritis a patriarcha Hierosolymitano aliquid contra vos fuerit constitutum, nos eandem sententiam viribus carere decernimus, & nullius momenti esse censemus. Data Laterani, decimosexto Kalendaras Februarii.

## EPISTOLA IX.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD ROGERIVM SICILIÆ REGEM.

Regium titulum illi ab Honorio concessum confirmat.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei carissimo in Christo filio Rogerio illustri & glorioso Siciliæ regi, eiusque heredibus, in perpetuum.*

Q vos dispensatio diuini consilii ad regimen & salutem populi ab alto elegit, & prudentia, iustitia, aliarumque virtutum decore decenter ornauit, dignum & rationabile est, vt sponsa Christi, sancta & apostolica Romana mater ecclesia, affectione sincera diligat, & de sublimibus ad sublimiora promoueat. Manifestis siquidem probatum est argumentis, quod egregiæ memoriæ strenuus & fidelis miles beati Petri Robertus Guiscardus prædecessor tuus dux Apuliæ magnificos & potentes hostes ecclesiæ viriliter expugnauit, & posteritati suæ dignum memoria nomen &